



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio XXXVI. Permissum est furari, non solum in extrema neceßitate,
sed etiam in gravi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

PROPOSITIO XXXVI.

Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Propositionis autor citatur Escobar citato quodam loco, qui in ejus libro non extat: sed neque alium locum inveni, ubi tractet quæstionem.

Jubetur etiam propositionis esse autor Tamburinus l. 8. Tract. 4. c. 1. §. 9. n. 8.

Tamburinus ibi unum sic obiter affirmat; ad propria alimenta quilibet jus habet, cum is, qui iis caret sit in gravi necessitate constitutus; in qua etiam aliena posse surripi, nedum propria occultari communis jam nunc Sententia est: quo fundamento id dixerit, mox aperiam.

Accedere jubetur Lessius: nullus citatur locus: hunc velim citari, ubi dicat, permissum esse furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi: ne quidem invenietur ubi dicat licere furari in extrema: ac ne quidem ubi dicat licere saltem surripere in gravi. Dixit tamen l. 2. c. 12. dub. 12. n. 71. Probabile esse non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate (non qualicumque) sed morbi, famis, nuditatis, posse te clanculum surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeas. Ut ergo probabilitatem hîc agnoscat, tres
ad

adhibet cautiones, quarum nullam exprimit
propositio damnata.

Hanc Lessii doctrinam totidem verbis de-
scriptam defendit Joannes Sinnichius die 3.
Febr. 1648. Assertam à Lessio probabilitatem
asserit quoque Joannes Malderus alter Lovan-
niensis Doctor. 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 6. &
Franciscus Sylvius 2. 2. q. 66. art. 7. Wig-
gers verò tract. 3. de just. c. 6. d. 1. similiter
ac Tamburinus, causam excusantem à resti-
tutione ponit gravem necessitatem hoc argu-
mento: *quia multi tenent quod in gravi necessi-
tate liceat etiam clanculum surripere à ditioribus
quando id fit sine scandalo, ut Silvester, Angelus,
Navarrus, Petrus Navarra, &c.* Auctores il-
lius doctrinæ multo plures dabit Diana p. 2.
tract. 17. Res. 29.

Constat verò doctrinam in Lovanien-
schola valde communiter traditam fuisse. Præ-
ter Doctores jam nominatos, illam Lovani-
defendit Guilielmus Mercerus die 11. De-
cembris 1638. Sebastianus Stockman die 4.
Septembris 1648. defendit verò ut probabi-
lem Joannes Sinnichius die 3. Februarii 1648.
Christianus Beufecum die 7. Augusti 1638.
Gerardus van Werm die 17. Julii 1653. &c.

—

PRO-